



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

453. Sede papali vacante penes quem resideat jurisdictio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

2. Quòd si tamen mortuo Prælato administrator nullus constituatur ab Episcopo, potest Prior, aut senior juxta cujusque Ordinis aut monasterii consuetudines alios gubernare iisque præcipere, tamen si jurisdictionem propriè dictam non exerceat; cum neque sit Prælatus, nec vice Prælatus, nisi vel consuetudo sit, vel regula, aut statutum Ordinis præcipiat, ut vacante Prælaturâ Prior, vel alius interea, dum novus Prælatus eligitur, vel constituatur, vices Prælati gerat. Laym. Pirh. ll. c. v. cui proinde vice Prælato obediendum non secus ac ipsi vice Prælato, quem constituit prælatus loco, seu in sua absentia. Quidquid sit de eo, num Priores claustrales similisque Officialès, seu Vicarii in præsentia ipsius Prælati habeant potestatem illam præcipiendi in virtute S. Obedientiæ, quod ex cujusque religionis statutis & consuetudine dignoscendum ait Laym. cum de jure ordinario talem potestatem habere non videantur juxta Suarez. etsi negandum non sit, habere illos juxta potestatem sibi commissam vim aliquam gubernandi, & præcipiendi, ita ut obediri illis etiam in conscientia debeat, uti Ludimagistro in schola, patri-familias in domo.

Quæstio 453. Sede Papali vacante penes quem resideat jurisdictio?

R Esp. remissivè, videndum nimirum Fagn. p. 2. primi decretal. pag. 512. a. n. 2.

Quæstio 454. An Episcopo, vel Prælato alio exempto excommunicato vel suspensio devolvatur quoque jurisdictio ad Capitulum non secus, ac sede vacante, ita ut locus sit electioni Vicarii capitularis?

R Esp. negativè, sed recurrendum ad Papam, ut is provideat. Fagn. in c. quia diversitatem. de concess. præb. n. 25. postquam num. aliquot antecedentibus, contrarium proposuisset, & n. 16. dicens, se super hac quæstione à S. Congregat. præposita negot. Episcoporum. & regular. specialiter consultum, citat pro hac sua sententia Host. in. c. 1. de off. Vicar. in 6. n. 1. dicentem Episcopo excommunicato nec ejus Officialem, nec alium posse jus reddere nisi Papam. Item gl. ibid. v. ipsius & Jo. Monach. ibidem, n. 5. dicentes eadem. Probat suam sententiam Fagn. n. 26. primò ex c. Romana. de suppl. negl. Prælator. in 6. ubi dicitur, jurisdictionem suffraganei non devolvi ad Metropolitanum, additâ ratione; cum id non inveniatur concessum à jure, adeoque conditor dicti Canonis videatur retinuisse sibi hanc facultatem juxta regulam c. nuper. de sent. excommun. Et lanè, si ad Capitulum devoluta esset in hoc casu jurisdictio, Papa id ipsum non redderet pro ratione, nempe quòd jurisdictio concessa esset alteri scilicet capitulo, cui jus suum conferre non possit Metropolitanus, & non nudè pro ratione daret, quòd hæc devolutio non inveniatur in jure concessa Metropolitanò. Probat illam secundò n. 27. ex c. si Episcopus. de suppl. negl. in 6. ubi jurisdictio Episcopi naturaliter viventis tribuitur Capitulo in speciali casu, quando Episcopus est captus à Paganis vel schismaticis; eò quòd tunc sedes censetur quasi vacare per mortem, adeoque extra hunc casum regulariter jurisdictio Episcopi naturaliter viventis non transeat ad Capitulum; cum mors ci-

vilis vel spiritualis Prælati non æquiparetur mortui naturali, nisi ubi id in jure cautum invenitur, ut pro regula tenendum, ait gl. Joan. in c. placuit. il secundò v. mortuus 16. q. 1. Probat Tertio. n. 31. & 32. ex eo, quòd sedes uti vacat interpretativè per Prælati inhabilitatem c. inter corporalia. de translat. Episcoporum. (ubi sicut juxta communem modum loquendi dicitur ecclesia viduata, quæ licet Episcopum habeat inutilem, tamen habere perhibetur) ita etiam vacet interpretativè per excommunicationem & suspensionem, ut post Hostiens. expressè Pavin. de off. & potest. cap. sed. vac. prælud. ult. n. 13. jam verò de sede interpretativè vacante per inhabilitatem, jurisdictio non devolvatur ad Capitulum, sed Papa provideat dando Coadjutorem c. ex parte. de cler. agror. & c. unic. tit. eod. in 6. ergo nec sede interpretativè vacante per excommunicationem, vel suspensionem ea devolvatur ad Capitulum. Huic sententiæ suffragari diuturnam observantiam (quæ juxta l. si de interpretatione. ff. de ll. & c. dilectus. de consuetud. est optima interpret. quæ nimirum Episcopis ob delictum, vel inhabilitatem suspensis ab administratione Capitulum non administrat, sed sedes Apostolica consuevit constituere Vicarios Apostolicos) ait Fagn. n. 32. & addit, hæc potissimum sibi vindicare locum in prælato inferiore. Neque proinde his contrarii sunt (ut Fagn. n. 33.) Host. & Pavin. dicendo, sedem vacare interpretativè, Prælato existente hæretico, excommunicato vel suspensio; cum non loquantur ad effectum devolutionis ad Capitulum, sed ad effectum, ut sit locus titulo ne sede vacante aliquid innovetur Neque etiam S. Congregat. Concil. de 14. Jan. 1588. declarans, Episcopum existente hæretico, pertinere ad Capitulum facultatem concedendi dimissiones, quia Episcopo existente notorè hæretico, jurisdictio idcirco spectat ad Capitulum; quia sedes non interpretativè sed verè vacat juxta c. commissi. de hæret. in 6. Fagn. n. 34. citans seipsum in c. ad abolendam. tit. eod. à n. 29.

Quæstio 455. Num jurisdictio sede vacante una cum Episcopo, vel Prælato moriente exspiret, & veluti de novo incipiat vivere in Capitulo?

R Esp. Cum Carol. Anton. de Luca ad Ventrigl. annot. 15. §. 2. n. 1. deficiente capite mortuo nimirum Episcopo, universam jurisdictionem tam in habitu, quam in exercitio remanere penes Capitulum, tanquam reliquum corpus politicum, seu intellectuale, quòd in hoc differt à corpore naturali, ut etiam sine capite vivat, omnèque faciat operationes.

Quæstio 456. Num Capitulum succedat Episcopo in jurisdictione tam temporalis quam spirituali?

R Esp. Affirmativè. Lotter. de re benef. l. 2. q. 2. n. 37. ubi: secundum regulas juris communis transeunt in Capitulum omnia jura episcopalia tam temporalia quam spiritualia, juxta c. ult. & penult. de suppl. negl. prælat. in 6. quod proculdubio completitur usum clavium. Guttier. qq. can. l. 1. c. 11. n. 10. Pirh. ad tit. de major. & obed. n. 44. & 45. Pignat. tom. 5. consult. 24. n. 3. ubi: sede vacante Capitulum succedit tam in temporalibus quam spiritualibus, nec inferior est, sed par Episcopo. Hinc ab excommunicatione